



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio secunda. Vtrum plures personæ diuinæ possit simul assumere
eandem naturam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

tur sub ratione personalitatis, & prout in re ipsa existit.

Vnde ad tertiam difficultatem respondetur, verum esse humanitatem naturam suam, seu secundum capacitatem naturalem non esse capacem subsistentie communicabilis, tamen inde non fit, per potentiam obedientialem non esse capacem illius, quia alias illius subsistentie diuine esset capax, quia naturaliter illam non postulat, cum ergo humanitas per capacitatem obedientialem terminabilis sit subsistentia infinita, & hic non appareat specialis repugnancia, erit etiam terminabilis hac subsistentia, quæ dicitur supplere vicem propriæ personalitatis, quoad rationem subsistentiæ, non vero quoad modum incommunicabilem, sed altiori modo, in time scilicet se communicando tribus personis incommunicabiliter subsistentibus.

Ad quartam difficultatem respondetur, hanc unionem esse ad modum illius, quam vocant Sancti in persona, quia est in subsistentia, ut ipsi etiam loquuntur, & quia per illam quilibet persona diuina fieret homo, & subsisteret in duplici natura, hæc enim vocant Sancti, unionem in persona, quia loquuntur de hoc modo unionis, prout factus est: factus est autem in substantia incommunicabili. Denique hæc unio non fit ad componendam vnā naturam, sed potius ad componendam vnum aliquid cum singulis personis, licet non secundum personalia, sed secundum subsistentiam communem illis. Ad Anselmum verò specialiter respondetur (quoniam non oportet omnes rationes esse formales, & efficaces) vim tamen illius rationis esse hanc, ex unione in subsistentia non posse inferri esse commune omnibus personis, quia talis unio ex genere suo fieri potest in proprietate personali, & ideo non potest ex eo solum, quod unio sit substantialis, inferri esse commune omnibus personis, nisi supponatur talis unio esse essentialis, seu in natura, & hoc sensu recte Anselm. contra hæreticos concludit.

Alia difficultas offerebat se hic ex eo, quod essentia non potest videre sine personis. Sed hæc expedienda est eodem modo, quo similem resoluiimus disput. præced. sect. i.

SECTIO II.

Virum plures persone diuine possint simul assumere eandem naturam.

Suppono, quamlibet personam posse assumere naturam creatam, de hoc enim nulla potest inter Catholicos esse controuersia, supposita fide incarnationis, quia non est maior ratio de vna persona, quam de alijs. Deinde sumo ex præcedenti sectione, tres personas posse assumere eandem naturam, terminando illam aliquo termino, seu subsistentia communi, quia non posset hic Deus assumere, quin omnes tres personæ saltem hoc modo assumerent, ut ostensum est. Quæstio ergo superest, an tres personæ possint assumere eandem naturam, terminando illam proxime & immediate per subsistentias relativas, siue illam simul terminent per subsistentiam absolutam, siue non: hoc enim nihil potest variare quæstionem, suppositis quæ in superioribus dubijs dicta sunt.

Est ergo prima sententia negans posse hoc modo eandem naturam assumi à pluribus personis. Tenet Scot. dist. i. q. 2. §. Ad quæstionem igitur Richard. art. 1. q. 3. Albertus, quæst. i. art. 10. Palud. vero q. 3. art. 2. æque probabilem esse putat hanc & contrariam sententiam, & citatur pro hac sententia Anselmus, de cuius sensu circa litteram D. Tho. satis dictum est, citatur etiam Bonaventura in 3. d. i. art. 2. q. 3. Sed ut constat ex fine illius quæstionis, potius ibi docet contrarium, & in reliqua parte quæstionis solum explicat, & confirmat sensum Anselmi. Fundamentum huius sententiæ esse debet, quia implicat contradi-

Fr. Suarez. Tom. 1.

ctionem, quæ vero esse possit hæc contradictio, infra videbimus.

Dicendum tamen est, posse plures personas assumere eandem naturam, & terminare illam proprijs subsistentijs relatiuis. Hæc est communior sententia Theologorum cum D. Thom. hic Alens. 3. part. qu. 2. memb. 4. Altissod. lib. 3. sum. tract. i. c. i. q. 6. Henric. quodlib. 6. q. 7. Marfil. in 3. q. c. art. 3. Okam. q. i. art. 3. Gabr. distinct. 1. q. i. art. 3. dub. 3. Almai. q. i. art. 3. consentiunt Capreolus, Caietanus, & omnes Thomistæ. Durandus etiam distinct. 1. quæst. 3. eandem tenet sententiam; quam bene tractat, & confirmat: sed in hoc singularis est, quod affirmat non posse tres personas assumere hoc modo eandem naturam, nisi prius intelligatur assumere illam hic Deus, ut abstrahit à personis: sed nititur falso fundamento, nam idem putat dicendum de quacunque vnione, facta etiam in vna persona tantum, & ideo, ut supra vidimus, idem affirmat de incarnatione, prout facta est. Sed hoc sufficienter in superioribus est confutatum. Illo ergo omisso, fundamentum huius sententiæ est illud, quod D. Tho. attulit in art. 6. quod sufficientissimum est, & ibi satis explicatum, sed attingo breuiter: tres enim personalitates diuine, quantum est ex parte earum, possunt terminare eandem naturam, ut patet in natura diuina, sed ex parte naturæ assumente, nulla est specialis repugnancia, ergo.

Dicitur fortasse, esse repugnantiam ex parte naturæ humanæ, quia finita est: nam diuina propter infinitatem, est capax trium subsistentiarum, & ideo natura finita non videtur habere tantam capacitatem, sicut personalitas diuina potest terminare plures naturas, tamen quia hoc conuenit illi ex infinitate sua, creatæ personalitati conuenire non potest, ut infra dicitur. Respondetur, diuinam essentiam esse, & ex natura sua, tria supposita postulare, hocque illi ex infinitate conuenire: similiter ita esse in illis, ut cum singulis eorum omnino idem sit cum perfectissima vnitatem, & simplicitate, & ideo neutrum horum posse conuenire naturæ creatæ. Si autem tres personæ assumerent eandem naturam creatam, neque illa natura esset idem cum personis assumentibus, sed substantialiter coniungeretur illis: nec ille modus subsistendi esset illi connaturalis, sed per gratiam, & omnipotentiam assumentis communicatus, ipsa natura non repugnante, quia cum ipsa sit in potentia obedienti ad quamcunque personalitatem diuinam, & alioqui inter ipsas personalitates diuinas in ordine ad subsistendum, vel terminandum naturam, formalis repugnancia non fit, aut oppositio, eadem ratione erit in potentia obedienti ad omnes illas personalitates, etiam simul terminantes: neque est vlla ratio, cur ad hoc infinita perfectio, seu capacitas requiratur. De illo vero exëplo, quod adducitur de personalitate finita, & infinita suo loco dicemus, nunc paritas negatur, tum quia cum personalitas sit actus naturæ, maior perfectio requiritur ex parte personalitatis, ut terminare possit, quam ex parte naturæ, ut possit terminari: tum etiam quia ex parte personalitatis creatæ est specialis repugnancia, ut non possit esse terminus alienæ naturæ, ut infra videbimus. Vnde personæ infinite proprium est, non solum terminare plures naturas, quia plures sunt, sed etiam quia proprium illius est, naturam extraneam terminare.

Sed obijcit secundo Scotus quia repugnat eiusdem effectus dari plures causas totales, simul concurrentes, ergo repugnat eandem naturam simul dependere à multis personis, quia dependeret ab vnaquaque, tanquam à toto, & ad æquato termino. Respondet Caiet. negando consequentiam, quia dependentia à termino alterius est rationis, quam dependentia effectus à causa: & hæc est prioris generis, & non posterioris, in illo autem genere dependentiæ à termino, non repugnant vnum æque dependere à mul-

Cc 2 tis

ris sic enim vna relatio interdū respicit plures terminos. Sed hæc responsio fundatur in opinione quadam satis dubia, nam fortasse magis repugnat vnam relationem pendere, seu respicere plures terminos, quam vnum effectum pendere à multis causis totalibus, quia illa dependentia est magis intrinseca & essentialis, & quasi formalis: magis autē repugnat, eundem effectum constitui pluribus formis adæquatis, & eiusdē rationis, quā pendere à multis efficientibus.

Natura à tribus personis necessario per tres vniones assumitur.

Deinde quod ad præsentem quæstionem attinet, constat non posse eandem naturam creatam ita assumi à tribus personis proxime, & immediate, vt nunc loquimur, vt per eandem indiuisibilem vnionem omnibus vniatur, aut per eandem relationem vnionis ad omnes referatur, quod probatur aperte, quia vnio ad vnam personam nō penderet ab vnione ad aliam, neque ē conuerso, & vnaquæq; earum intrinsece penderet à suo termino, essent ergo diuersæ. Item si nunc Pater assumeret eandem humanitatem, quæ est in Verbo, necessarium esset humanitatem illam mutari, quia non potest fieri noua vnio sine noua alicuius extremi mutatione, sed humanitas non mutaretur, nisi quia reciperet nouum modum vnionis, & consequenter nouam relationē, quæ sequitur posito nouo fundamento: quia nullū aliud genus mutationis ibi interuenire potest, neq; est necessarium ad effectū intentum. Deniq; non potest vnum corpus constitui in duobus locis, quin in eis habeat diuersos modos existendi, seu diuersas præsentias, vel relationes, nec potest vna anima vni-ri distinctis corporibus, quin ad illa habeat diuersas vniones ergo similiter, &c.

Responsio.

Ex hoc ergo petenda est propria solutio argumenti, quidquid enim sit de antecedenti (de quo disputare nolo, quia philosophicum est, quanquam ego falsum illud esse existimo, de potentia absoluta loquendo) male tamen proposito applicatur, quia humanitas assumpta, in sua entitate non pedit proprie à persona assumente, tanquam ab influente in illam propriam entitatem, quam habet, vt quædam natura realis est, sed, ad summum, pender modo explicato, q. præced. tanquam à conditione vel termino requirito, nihil autem repugnat quod natura simul habeat plures condiciones singulas per se sufficientes, seu plures terminos in ordine ad plures vniones. Quocirca hæc dependentia à persona assumente vt à termino propriissime est in vnione, & substantia, vnde si eadē humanitas assumeretur à multis, licet natura esset vna, tamen proprius effectus assumptionis, & dependentia quæ inde oritur, non esset vna, sed multiplex, essent enim tres vniones diuersæ, quarum vnaquæq; à suo termino penderet. In quo est etiam magna differentia inter causam efficientem respectu sui effectus, & terminum huius assumptionis, nam si tres causæ totales efficerent eundem effectum, darent illi idem esse, & ideo proprie esset vnus effectus à tribus causis: hic autem tres personæ assumentes communicarent eidem humanitati tria esse, seu tres substantias diuersas, medijs tribus vnionibus distinctis. Et ideo in hoc reuera nō est simile, quod assertur: magis vero simile esset, si Deus eandem albedinem in diuersis subiectis poneret, in quibus haberet diuersas vniones, & diuersas inherencias, quod sane non videtur magis repugnare, quam constituere duo corpora in eodem loco, vbi quamuis locus sufficienter repleatur vno corpore, Deus tamen facit, vt simul, & æque sufficienter repleatur ab alio, vbi non proprie est idem effectus ab vtroq; corpore, quia proprius modus existendi in tali loco, seu replendi tale spatium, distinctus est in vnoquoque corpore.

Ex hac solutione obiter colligitur primo, quod si humanitas assumeretur ab hoc Deo præcise, iuxta modum dictum in præcedenti sectione, modus vnionis existens in humanitate esset distinctus à mo-

do vnionis, quem nunc habet humanitas in persona Verbi, & ab omni modo, quem haberet vnita cuilibet personæ. Hoc patet ex dictis, quia isti modi vnionis sunt re ipsa separabiles inter se, nunc enim habet humanitas vnionem ad Verbum, & non propriam illam vnionem ad hunc Deum, vt supra contra Durandum ostendimus, & ē contrario, si hic Deus præcise assumeret humanitatem, non esset in illa ille modus vnionis ad Verbum, qui nunc est in humanitate Christi, quia vnio esset indifferens, & æque communis omnibus personis, cuius signum est quia relationes habent terminos diuersos, quia alia terminatur ad vnam personam, vt sic, alia vero ad omnes, vt sunt vnus Deus. Ex quo fit secundo, quod si vna humanitas assumeretur immediate, & proxime à tribus personis, non necessario haberet illum specialem modum vnionis, quem potest habere ad hunc Deum secundum se, quia hic modus non necessario sequitur ex vnione ad personam, vt nunc patet in persona Verbi, neque ergo sequeretur ex vnione, seu potius ex vnionibus ad omnes tres personas, quia omnes sunt eiusdem rationis. Tercio tandem licet ex dictis colligere, quamuis hoc nō sit necessarium, posse tamē ita fieri, quia sicut vna humanitas potest simul terminari à tribus personis, ita etiam ab hoc Deo, vt fit, simul cum ipsis personis, quia non magis, imo minus repugnat eandem naturam terminari substantia absoluta, & relatiua: quam terminari pluribus relatiuis.

Tertia & maior difficultas in hac sententia est, quia ex illa sequi videtur humanitatem semel terminatam, posse iterum assumi, priori termino conseruato, vnde fieri consequens, vt possit etiam assumi humanitas existens in propria persona. Sed hæc difficultas tractanda est infra disput. sequenti in propria disputatione de hac re, & ideo hic solum respondeo humanitatem terminatam vt sic, non posse iterum assumi, quod est dicere, personam ipsam non posse assumi seu terminum vltimum naturæ non posse iterum terminari, quod est per se clarum, vt infra etiam dicemus: at vero humanitas semel terminata, potest secundum se iterum assumi, & terminari, præsertim quando ille terminus est extrinsecus, quia licet sit per vnionē coniunctus, semper tamen manet omnino distinctus à natura, & ita potest ipsa natura assumi, nō assumpto termino. An vero in hoc sit specialis repugnātia, quando terminus est intrinsecus, seu personalitas connaturalis, dicemus citato loco.

Dices. Ex parte ipsius vnionis videtur esse repugnātia, quia cum vnio sit modus naturæ in illa existens, non videtur posse assumi natura vnita alteri personæ, conseruata vnione, quin assumatur ipsa vnio, quod aperte repugnat, vnde inter ipsas vniones ad terminos distinctos videtur esse repugnātia formalis. Respondetur, licet vnio sit modus naturæ, tamen ex natura rei ab illa distingui, & ideo non oportere, vt assumendo naturam assumatur ipsa vnio, & ideo non est tanta repugnātia formalis inter ipsas vniones, vt contradictionem inuoluat in eandem naturam simul conuenire: sicut si corpus existens in vno loco constituitur in alio, licet modus existendi in vno loco sit in ipso corpore, nihilominus ille met modus non constituitur in alio loco, sed ipsum tantum corpus: quod etiam videre est in modo sacramentali, quem corpus Christi habet in Eucharistia, nam licet idem numero corpus Christi constituitur sub diuersis speciebus consecratis, non tamen idem numero modus existendi, quem habet sub his speciebus, sub alijs ponitur.

Quarta difficultas est, quia in eo casu tres personæ nec essent plures homines propter vnitatem humanæ naturæ, neque vnus propter trinitatem personarum. Ad hoc quidam vtrumque concedunt, vt Ricard. in 3. distinct. 1. artic. 1. quæst. 4. ad 1. Durand. Richard. q. 3. & ad 3. sed essent, inquit, vtrumq; secundum quid

Utrum una persona diuina possit assumere plures naturas.

In hoc dubio, quod ad questionem de re pertinet, facillime expediri potest, sine controuersia enim conueniunt Theologi omnes; hoc esse possibile, quia neque ex parte naturarum est repugnantia, cum utraque supponatur assumptibilis, & inter eas non sit formalis repugnantia respectu eiusdem persone, nulla enim potest fingi ratio huius repugnantie, vel contradictionis, etiam alioqui ipse naturarum fingatur habere formas contrarias, vel repugnantes, quia illa repugnantia formatum est respectu eiusdem subiecti, at vero si diuersae naturae assumerentur ab una persona, formae talium naturarum manerent in diuersis materiis, & subiectis, ut omittam posse Deum etiam contrarias formas simul in eodem subiecto collocare: nec vero potest esse repugnantia, vel insufficientia ex parte persone, cum illa infinita sit, atque adeo vim habeat infinitam terminandi.

Obiectio.

Dices, Pater aeternus habet infinitam vim generandi, & tamen non potest generare nisi unam personam, ergo. Respondetur illam potentiam veluti expleri uno actu perfecto, & adaequato, cui etiam vnus terminus totus, & adaequatus responderet: at vero Verbum assumens, infinite naturas assumptas excedit.

Responsio.

Sed contra, nam ex hac responsione fieret, Verbum nullam naturam posse terminare praeter diuinam, quia in hoc habet actum perfectum, & adaequatum, quo videtur eius virtus expleri. Respondetur negando consequentiam, sed solum fit, ut non possit terminare aliam naturam illo modo, scilicet, ut adaequatam, connaturalem, & secum habentem necessariam coniunctionem seu unitatem: non vero impeditur, quin possit libere se communicare modo minus perfecto inferioribus naturis, sicut voluntas diuina amando seipsam, amat bonum sibi adaequatum naturali quadam necessitate, & nihilominus libere potest alia amare, & se illis communicare: & eodem modo essentia diuina, quae in patre est principium naturalis generationis, est in omnibus personis virtus seu potentia creandi: Deus enim, quia est simpliciter & in omni ratione infinitus, & intra se habet omnem perfectionem, & virtutem sibi connaturalem, omni modo completam, & perfectam, & simul habet infinitam vim communicandi se creaturis omni modo communicationis possibilis. Et Richardus haec tenet de questione de re.

Obiectio.

Responsio.

Richardus.

Maiores controuersiae est in questione fere de modo loquendi, an in eo casu illa persona subsistens in pluribus humanitatibus, vnus homo, vel plures diceretur. Richardus enim in 3. distin. 1. ar. 1. q. 5. idem dicit, quod in simili dubio, praecedenti sectione tractato, scilicet simpliciter, neque esse vnus, neque plures homines, sed vtrumque secundum quid. Aliorum vero sententia est, in eo casu simpliciter dicendum esse, vnus personam habentem plures humanitates simpliciter esse plures homines. Ita tenuit D. Thomas in 3. distin. 1. q. 2. art. 5. ad 2. & 3. Scotus in 3. q. 3. & in 2. distin. 12. q. v. circa finem, & Durandus supra, Altiſſod. lib. 4. Summa tract. 1. c. 1. q. 5. Fundamentum sumitur ex dictis sectione praecedenti, quia ad unitatem substantiui sufficit unitas formae, ergo & ad pluralitatem sufficit pluralitas, nam oppositorum eadem est ratio. Item quia tres personae dicuntur vnus homo propter vnus humanitatem, quia homo significat humanitatem, in habere ipsam, & ita cum dicitur vnus homo, solum numeratur vna humanitas in habente, ergo habens plures humanitates non potest dici vnus homo, quia etiam tunc formaliter numeraretur humanitas, & significaretur tantum habere vnus humanitatem: & contrario vero possunt dici plures homines, quia in hoc modo dicendi solum numeratur

D. Thom.

Scot.

Durand.

Altiſſod.

Cc 3 tantur

uid. Sed non placet, quia cum vnus & multa ad quare diuidantur ens, potest quodlibet ens sub quinque ratione, aut vnus aut multa simpliciter appellari. Alij dicunt in eo casu fore tres personas tres homines. Ita tenent nominales, & Martinus in 3. quaest. 2. artic. 7. dub. 2. & Gabr. supra, quos Caiet. hoc loco artic. 6. imitatur, male interpretans D. Thom. ut ibi notauit. Sed hoc magis displicet, alias tres personae non essent simpliciter dicendae vnus Deus. Respondet nominales, non esse eandem rationem, quia diuinitas ita est vna in tribus personis, ut sic omnino idem cum singulis, humanitas vero, quamuis esset in tribus personis, non esset idem cum ipsis. Sed hoc, licet referat ad predicationes in abstracto, ut videlicet possint tres personae dici vna diuinitas, non tamen vna humanitas, ad predicationem tamen in concreto, parum videtur referre: quia vnaquaeque persona non est Deus praecise ac formaliter, quia est sua deitas, sed quia habet deitatem, sicut Verbum est homo, quia habet humanitatem, licet non sit sua humanitas, ille ergo modus predicationis per se ac formaliter non requirit illam identitatem: sic ergo tres personae sunt vnus Deus, non quia sunt vna Deitas formaliter ac praecise loquendo, sed quia habent vnus deitatem, ergo similiter essent vnus homo, si haberent vnus humanitatem.

Aliter respondet Caiet. tres personas esse vnus Deum, non propter quamcumque unitatem Deitatis, ut natura est, sed propter unitatem substantiis communis, id est, quia sunt vnus, & idem habens hanc Deitatem. Sed in primis responsio non procedit, si constituamus unionem eiusdem humanitatis factam esse, & in hoc Deo & in tribus personis, tunc enim tres personae essent vnus & idem habens humanitatem. Deinde quod tres personae sint vnus Deus, non pendet ex illa opinione de substantia communis, sed ex vi vnus naturae sunt vnus Deus, ut omnes Patres loquuntur: alias si vnitas naturae non sufficeret, quamquam posita substantia essentia possent dici vnus Deus, quatenus sunt vnus habens Deitatem, sub alia ratione possent dici tres dii, quatenus sunt plures habentes deitatem, sicut dicuntur fore tres homines in dicto casu. Denique Pater, & Filius, sunt vnus spiritor, & vnus principium Spiritus sancti, ut constat ex 1. p. q. 36. artic. 4. idque propter vnus virtutem, & vnus relationem spirandi, quamuis sub ea ratione non habeant vnus substantiam communem.

Dicendum est ergo, in eo casu fore tres personas vnus hominem, ita tenet expresse D. Thomas hic artic. 6. ad primum, ut ibi notauit, & in 3. distin. 1. quaest. 2. artic. 4. ad 6. & in hoc magis inclinat Durandus supra, & Bonauentura Alenf. & alij supra citati, & Altiſſod. lib. 3. Summa tract. 1. c. 1. quaest. 6. Capreolus & Hispanus in 3. d. 1. q. 1. Ferr. 4. cont. Gent. c. 12. Et ratio est, quia ad unitatem, termini substantiui sufficit unitas formae, ut optime docuit D. Thomas 1. p. q. 36. artic. 4. & q. 39. artic. 3. quia terminus substantiuius, ut homo, formaliter significat formam seu naturam, ut in habente illam, & ideo ut simpliciter dicatur vnus homo, sufficit unitas naturae. Nec refert, quod illa natura sit intrinseca, & connaturalis, vel aduentitia, ut est humanitas respectu Verbi, quia hoc non variat rationem nominis, nec modum significandi illius. Et confirmatur, nam Christus absolute est vnus homo specie cum alijs hominibus, propter unitatem specificam naturae, quamuis supposita plura quam genere differant, ergo pari ratione tres personae erunt vnus homo numero, propter unitatem numericam naturae, etiam si personae distinctae sint. Contra hanc vero sententiam sunt hic Thomistae multa argumenta, quae sophistica mihi videntur, & parum momenti, ideo praetermitto, cum quia si quid in eis est difficultatis, in sequenti sectione fortassis attingetur.

Fr. Suarez, Thom. 1.